

mentis mox edendis præmittere volui Demonstra-
tiones principaliores physicas, curiosis experimen-
tis illustratas. Diu hæsitavi, utrum luci quædam
exponere vellem ex Physica experimentali propter
summam invidiam & communissimum eruditio-
rum morbum, philautiam, qui nil nisi quod ipso-
rum speculationibus & moribus congruit, rectum
putant. Facile etiam prævideo fore qui jactantiæ
me insimulabunt, quasi superbire tanto experi-
mentorum numero velim; qua in re autem pro-
voco ad illos, qui ingenium meum norunt, quod
ab omni ambitione alienissimum est, cum semper
assuetus sim me meosque ingenii fœtus parvi du-
cere ac negligere, aliena contra suspicere & æsti-
mare. Sique tali morbo laborarem, potuisse facilius solidiores multumque curiositatis spirantes,
neque vulgares aut aliis notas, & a me, ut puto, pri-
mum notatas quasdam observationes seorsim col-
ligere & majore stylo illas publico commendare,
meamq; in inveniendo laudem per obliquum ad-
struere: sed vana me nunquam vexat vel vexabit
gloria. Impulit autem me ad præsentia edenda
potissimum mei officii ratio, dum munere docen-
di Philosophiam naturalem fungor, ut, quid apud
nos hic agatur, & quid adhuc docuerim, periti &
prudentes rerum æstimatores possint perspicere.

Deni-

ROM 3 G